



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 66. Æneas Piccolominæus Cardinalis Senensis Papa electus sub nomine  
Pii II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. LXVI.

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.

*Æneas Piccolominæus Cardinalis  
Senensis Papa electus sub nomine  
Pii II.*

Eodem tempore Jacobus Cardinalis S. Anastasiæ, & ego, inquit, Senensi accedo. Inde factio Æneæ Sylvio adversa non modice turbata hæsit; unum enim Piccolominæo duntaxat suffragium deerat. Id ubi Prosper Columna animadverteret, ut gloriam creati a se Papæ sibi acquireret, & ego, ait, Senensi accedo, eumque Papam facio. Hunc vero Nicænus, & Rothomagensis Cardinales interpellabant, eidem exprobrantes, quod datam eis fidem fefellisset; jam enim Prosper suffragium suum Rothomagensi promiserat. Verum ille hanc objurgationem nihil moratus, palam aperteque professus est, se Piccolominæo Senensi accedere. Hoc audito, mox Cardinales universi Æneam Pontificem salutarunt, rursumque sua loca repetentes electionem, accedente communi omnium consensu, ratam habuerunt. Ergo Piccolominæus, nonnisi quinquaginta tres annos natus, die vigesima septima Augusti ejusdem Anni summus Pontifex renuntiatur, qui & Pii II. nomen adoptavit.